

XXVI. Neque id adeo difficile esse, ostendit non tantum multarum Dicecesium praxis, nunquam, aut raro admodum super denuntiationibus, saltem omnibus, dispensandi; sed & exemplum vicinorum Hæreticorum, qui quamvis se nec Synodi Tridentinae, nec aliarum Catholicarum Synodorum Decretis subiectos agnoscunt, nihilominus ad præcavenda inconmoda ex Matrimoniis clandestinis nota oriri, politica ordinatione anno 1580. art. 3. caverunt, ne aliter consistant nuptiæ, quam si tribus publicis proclamationibus, à Magistratu Loci, singulis diebus Dominicis intercedentibus, post causæ cognitionem concessis, in Ecclesiis de suggestu in facie Ecclesiæ, aut si Reformati non sint, à Curia loco publicationi destinato, coram Magistratu pactum connubiale certis solemnibus consummatur. Ita Simon Van Leeuwen J. C. Batavus in sua Censura forensi lib. 1. cap. 14. m. 1. qui dein n. 2. addit: Quorum proclamationum præcipuus effectus est, ut interea quicumque voluerit, & valeret legitimum impedimentum exponere, se Matrimonio contrahendo opponat. Quod ut magis innotescat, non solum eo in loco, in quo sponsus aut sponsa degunt: sed etiam in quo uterque vel alteruter natus aut educatus est, vel ubi per annum & diem proximum fixum habuerint domicilium, publicatio illa fieri debet, ne si sponsus vel sponsa peregre advenierint, fraus aut fallacia committatur.

Si hi præfati Reformati, solis incommodis ex nuptiis clandestinis orituris permoti, adeo sollicitè has proclamationes præmitti velint; nec cum aliquo cujuscumque conditionis dispensare soleant, ut notorium est: indignum sane & scandalosum, Episcopos nonnullos, tot etiam Ecclesiæ sanctionibus constrictos, adeo faciles esse in remittendis proclamationibus, ut leges Ecclesiæ tantum pauperibus, & infimæ quasi plebi præscriptæ videantur; imò, quod pudet dicere, sola nunquam carentia ad observantiam legis constringere videatur.

XXXVII. Interim cum frequenter Parochi non possint huic abusu totaliter occurrere; sed id præcipuè ab Ordinariis eorumque Officialibus dependeat, ipsi interim saltem solliciti sint, ut juxta Synodorum & Ritualium suorum præscriptum, non nisi causâ cognitâ, & cum magna cautione testimonia pro obtinenda dispensatione expediant; ut si quis in dispensatione committatur abusus, is ipsis equidem imputari nequeat.

Deinde Parochus ut sollicitus pro legum Ecclesiasticarum Zelator, subditos suos sapius ad hujus legis observantiam adhortetur; exponendo rationes ob quas Ecclesia tam serio has denuntiationes præmitti voluerit: quam periculosum & Deo ingratum sit in ipsa Sacramenti susceptione Leges Ecclesiasticas infringere: neque ipsam dispensationem si causâ legitimâ destituta sit, ipsos in totum semper excusare. Denique persuadendo honestioribus, ut se huic legi subiciant; ut ita suo exemplo alios ad ejus observantiam alliciendo, & ostendendo Legem Ecclesiæ non tantum pauperibus & infimæ plebi esse præscriptam, benedictionem ampliore à Deo accipere mereantur.

CAPUT IV.

De Matrimonio & Consensu Matrimoniali.

1. Matrimonii definitio.
2. Matrimonium legitimum.
3. Matrimonium ratum tantum.
4. Matrimonium consummatum.
5. Matrimonium ratum inter Fideles verum Sacramentum.
6. Definitio Matrimonii in Decreto pro Armenis quomodo accipienda.
7. Qua sit causa efficiens Matrimonii?
8. Consensus matrimonialis per signa exprimi potest.

9. Non facile admittenda hujusmodi expressio; & quare.
10. Etiam inter absentes potest celebrari.
11. Requiritur mandatum speciale.
12. Mandatarius ad contractum matrimonialem alium substituere non potest.
13. Censetur revocatus, etiamsi revocatio non sit iniuncta.
14. Dissuadenda Matrimonia per Procuratores.
15. Matrimonio conditio adjici potest, & quid conditio de presenti, aut de præterito operetur.
16. An contractus matrimonialis sub conditione de futuro contingenti ante eventum conditionis sit Matrimonium?
17. An eveniente conditione consensus sit renovandus?
18. Quem effectum habeant conditiones turpes aut impossibiles contractui matrimoniali adjectæ?
19. Ad validitatem Matrimonii non requiritur consensus Parentum.
20. In Belgio Matrimonium invitis parentibus contractum est validum; & quid in Gallia?
21. Hujusmodi Matrimonia Ecclesia detestatur.
22. Pœna in filios-familias sine consensu parentum decretæ in Gallia.
23. Qui Edictis penalibus non comprehendantur.
24. Quomodo puniendi Sacerdotes hujusmodi matrimonio assistentes.
25. Edicta Principum nostrorum contra similia Matrimonia.
26. Consensum parentum iudex supplere potest; & quis sit iudex?
27. Quod sit Parochorum officium in dissuadendis Matrimonii inveniendis sine consensu parentum.
28. Non semper illicitum contrahere invitis parentibus, dum irrationabiliter sunt invitati.
29. Monendi parentes ne sine iusta causa denegent consensum.
30. Quid Parocho agendum post contractum Matrimonium invitis parentibus.



Matrimonium generaliter sumptum definitur in Cap. II. §. De Presumpt. Maris & feminae conjunctio individuum vitæ consuetudinem retinens: eaque jam ante tradita erat à Justiniano in *Institutiis De Patria Potestate* §. I.

II. Matrimonium generaliter sic sumptum tripliciter distinguitur. Aliud dicitur legitimum, id est, secundum leges Gentium legitime contractum, non autem in fide Christi, quale est Judæorum & Infidelium.

III. Aliud Matrimonium *ratum*, id est in Ecclesia approbatum, quod inter Christi Fideles legitime contrahitur: quam distinctionem aperte ponit Pontifex in Cap. 7. §. De Divoritiis dicens: Nam et si Matrimonium *verum* inter Infideles existat, non tamen est *ratum*: Inter Fideles autem *verum* & *ratum* existit: quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum nunquam amittitur, sed *ratum* efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.

IV. Si postquam Matrimonium legitime contractum est, conjunctio carnalis intercesserit, jam Matrimonium à consummatione operis matrimonialis dicitur *consummatum*.

Quamvis Matrimonium *ratum* etiam ante consummationem sit verum Matrimonium, nihilque ipsi desit ad rationem Matrimonii; nihilominus per consummationem accipit quamdam perfectionem, quantum ad significationem; redditurque vinculum Matrimonii magis indissolubile, ut infra à titulo De Divoritiis ostenditur.

V. Ma.

V. Matrimonium *ratum* inter Fideles esse verum Sacramentum nemo Catholicorum dubitat, idque tamquam indubitatum exposuit Eugenius IV. in Decreto pro Armenis dicens: "Septimum est Sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ secundum Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia*."

E: Synodus Tridentina Sess. 24. Can. 1. De Sacram. Matrimonii ait: "Si quis dixerit Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum; neque gratiam conferre, anathema sit."

Hæc dogmata contra nostri temporis Hæreticos, qui negant Matrimonium esse verum Sacramentum, aut gratiam conferre, adstructa & ex Patribus & Scriptura deducta videri possunt apud Theologos, præsertim illos qui ex professo contra Hæreticos puncta Fidei Catholicae adstruxerunt.

VI. Porro definitio jam data, uti passim notant Theologi & Canonici, non exprimit aut declarat causam efficientem Matrimonii, nec ejus substantiam; sed tantum effectum qui sequitur, & promanat à præcedenti causa; societatem nimirum perpetuam omnis vitæ, quam Tertullianus libro ad uxorem, conjunctum appellat, & individuum vitam, corporum & animorum conjunctionem individuum.

VII. Causa igitur efficiens & perficiens Matrimonium est mutus contrahentium consensus, ut sicuti Sponsalia de futuro contrahuntur solo consensu in nuptias futuras, ita Matrimonium per consensum de præsentibus nuptias perficitur, juxta Regulam Juris; *Nuptias non concubitus, sed consensus facit*. L. NUPTIAS ff. De Regulis Juris. Unde Pontifex in Cap. 23. §. De Sponsalibus, tamquam indubitatum suæ resolutionis fundamentum assumit, quod *sufficit ad Matrimonium solus consensus illorum de quorum quacumque conjunctionibus agitur*.

Quod autem dicit Eugenius IV. in citato Decreto pro Armenis: "Causa efficiens Matrimonii, regulariter est mutus consensus per verba de presenti expressus;" nullatenus sic intelligendum, quasi aliquando alia esset causa efficiens Matrimonii quam *mutuus consensus*; sed quod is consensus non semper sit exprimens per verba: ideoque vocula *regulariter* non refertur ad *mutuum consensum*, sed refertur ad consensum per verba de presenti expressum.

VIII. Sicuti enim in aliis contractibus consensus non verbis dumtaxat, sed etiam signis & nutibus exprimi & manifestari potest; similiter & in contractu matrimoniali; quemadmodum dicitur Cap. 23. §. De Sponsalibus, ibi respondet Pontifex, sordum & mutum posse Matrimonium contrahere: *Cum quod verbis non potest, signis valeat declarare*.

IX. Verum quia signa frequenter dubia & æquivocata sunt, nec tam clarè consensus per illa, quam per verba exprimi potest; hinc non nisi necessitate quodammodo cogente, signa admittenda adhibenda sunt. Imò ut certius de consensu constet, clarum & nullis ambiguitatibus aut æquivocationibus obnoxiam verborum formulam in contractu matrimoniali adhibendam passim Ritualia præscribunt; à qua nec Parochi recedere, nec ut alia forma contrahatur, permittere possunt: quantumvis alio modo etiam per sola signa expressus consensus Matrimonium *validum* constituat; si aliud Canonicum non obstat impedimentum.

X. Cum Christus elevando contractum matrimoniale ad rationem Sacramenti, nihil immutaverit de natura contractus, consequens est, quod ad instar aliorum contractuum, qui consensu inveniuntur, possit &

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

hic inter absentes per litteras, aut per Mandatarios si ve Procuratores perfici; quod ultimum inter Principe non raro contingit.

XI. Sed quia hic de re summi momenti tractatur, Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habet *speciale*, uti declaratur in Cap. fin. De Procuratoribus in VI.

XII. "Et quamvis aliis is, qui constituitur ad negotia Procurator alium dare possit: in hoc tamen casu (propter magnum quod ex facto tam arduo possit periculum imminere) non poterit deputare alium, nisi hoc eidem *specialiter* sit commissum." Ità Pontifex in citato Capitulo finali.

XIII. Quin & ibidem tamquam in hoc contractu omnino singulare additur: "Sanè si Procurator antequam contraxerit, à Domino fuerit revocatus: contractum postmodum Matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam ea cum qua contraxit, *revocationem* hujusmodi penitus ignoraverint) nullus momenti existit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit."

XIV. Ex his factis apparet, qua ratione Matrimonia per Procuratores, & inter absentes multis difficultatibus possint esse obnoxia; ut proinde consulendum sit, ut inter præfatos fiant; nec Parochi propria auctoritate hujusmodi Matrimonia admittere debeant; attento quòd nec inter Theologos omnino conveniat, num hæc Matrimonia veram Sacramenti rationem habeant.

XV. Si solam rationem contractus in Matrimonio spectemus, etiam conditiones & modos ad instar aliorum contractuum adici potest.

Conditiones quidem de *præterito* vel *presenti* si adiciantur, ipsum consensum non suspendunt; sed si verum sit quod exprimitur, consensus adest; si falsum sit: consensus deest; & consequenter Matrimonium non est: exempli gratia, si sponsus dicat, accipio te in uxorem si nobilis sis, vel si hoc illudve *fecisti* aut *non fecisti*.

XVI. Quoad conditionem de futuro contingenti, exempli gratia, *si pater consenserit*, certum est, quòd si hæc per modum veræ & propriè dictæ conditionis sit adjecta, consensus matrimonialis suspendatur; & per consequens, Matrimonium non censetur contractum ante conditionis eventum.

Quia autem repugnare videtur, ut quis contrahat Matrimonium requirens consensum de presenti, atque translationem mutuum corporum; & tamen in futurum à conditionis incerto eventu suspendatur consensus; credunt nonnulli, hoc casu Sponsalia de futuro contracta esse potius quam Matrimonium; atque ita Emanuel Gonzales Sacrorum Canonum in Universitate Salmanticensi professor in Commentatio ad Cap. 3. §. De Conditionibus appositis; siquidem [ait] non adest consensus *De Presenti*, sed de futuro pendens à conditionis eventu. Idipsum non obscure tradit S. Thomas in tertia parte *quæst.* 47. art. 5. ubi loquens de Matrimonio contracto per verba de presenti, sed sub conditione de futuro quæ sit *contingens*, ut datio pecuniæ vel acceptatio parentum, ait: "Et tunc idem est iudicium de tali consensu sicut de consensu qui fit per verba de futuro, unde non facit Matrimonium."

XVII. Cum certum sit, contractum per conditionem appositam suspendi, & eatenus sapere naturam Sponsalium de futuro; credunt aliqui quod eveniente conditione requiratur novus consensus; præsertim hodie post Concilium Tridentinum, coram Parocho & testibus renovandus; quod affirmat post plures citatos Gonzales loco citato; quod licet in rigore verum non videatur, tamen non dubium, quin in praxi hoc tutius sit; præcipuè

Rr

præcipuè

